

mihī probat Text. in l. 1. ad fin. ff. ad leg. Pompei. de parricid. juxta leg. aut facta. §. persona. ff. de penis. Nam in d. l. 1. sic Martianus respondit: qui emis venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare. Quo Textu Bartol. ejus dispositionem extendit ad omnes preparantes venenum: sed communiter Doctores hanc extensionem rejiciunt, quia hoc cautum fuit specialiter in filio volente occidere patrem ob maximam reverentiam quam ei præstare tenetur: quibus & ego subscibo: sed in jure, servus quoad reverentiam debitam domino æquiparatur filio, ut probat expressè Text. in d. l. aut facta, §. persona ibi: Persona dupliciter spectatur, ejus qui fecit, & ejus qui passus est: aliter enim puniuntur ex ejusdem facinoribus servi, quam liberi, & aliter qui quid in dominum patremve ausus est, quam quid in extraneum: ita ut Saturninus, dum de augenda pœna in teo alicujus criminis agit, eandem rationem augendæ militare respondit in servo aliquid moliente contra dominum, ac in filio aliquid affectante contra patrem. Nam in utroque res pessimi exempli est, in filio ex vinculo naturæ; in servo ex vinculo juris civilis: ergo eadem dispositio dicta lege 1. procedit ex comprehensione ac identitate rationis, quoad ancillam procurantem mortem dominæ, mediante propinatione veneni, non solum empti, sed preparati, atque cum effectu in potione dati, itaut lædere cœpisset.

Quæ dubio carent in his Regnis, nam non solum habemus d. l. 12. tit. 8. part. 7. qua cavetur idem quod in d. l. 1. ff. ad leg. Pompei. de parricid. sed l. 7. cod. titulo, per quam generaliter cautum est, quod pœna mortis teneatur qui emerit, habuerit, confecerit venenum ad aliquem occidendum, sive occiderit, sive non, ut expressè dicitur in Text. ibi: Deven haver pœna de homicida maguer el que las compo non pueda cumplirlo que cuidava, & in d. l. 12. ibi: maguer non ge las pueda dar: & sic docent dominus Gregorius Lopez in his Text. & in l. 17. tit. 5. part. 5. glos. 1. dominus Covarruyas & ceteri laudati supra n. 4. pluribus dominus Sorlozano de parricid. lib. 16. per tot. & dominus Larrea allegatione 47. num. 12. sed specialiter ad nostram speciem Hermosilla d. n. 2. vers. & etiam ibi: Maximè si esset filius, uxor, consanguineus, vassallus, servus, aut famulus, qui patrem, maritum,

consanguineum, aut dominum veneno occidere vellet. Et cum habeamus dispositionem generalem, ut omnes nostri Doctores notant, affectus factus fuit delictum speciale, quo peracto pœna ordinaria subintrat. Et quantumvis adesse specialis dispositio d. l. 12. quæ loquitur de filio preparante venena ad necem patris, expendi possent plures Textus ad corroborationem hujus conclusionis, ut Text. in l. 2. tit. 31. d. part. 7. In quo cavetur quod ex cogitatione delinquendi nemo puniatur: sed id ibidem explicatum habemus, ita ut sit ad factum perveniatur, puniri debet, etiam effectu non secuto: & dum ponuntur exempla, specificè agitur de propinatione veneni, ibi: E lo mismo seria, si viniesse en voluntad a algun Ome, de matar a otro, si tal pensamiento malo como este començare a lo meter por obra, teniendo alguna ponçonna aparejada para darle a comer, o beber. Sic similiter expendi possent Textus specialiter ad nostram speciem in l. 8. cod. tit. 31. ibi: Ca mas crudamente deven escarmenatar al servo que al libre, quod est idem ac cautum in d. leg. aut facta, §. persona, ut dixi supra n. 28. præcipuè cum adco commendata sit reverentia servi respectu domini, per nostra jura, ut teneatur eum defendere cum dispendio propriæ vitæ. Text. in l. 2. tit. 19. part. 2. ubi Gregor. Lopez glos. 6. melior Text. in l. 5. tit. 21. part. 4. ibi: e morir por ello por escusarlo de muerte o de deshonra, ubi Greg. Lopez glos. 4. Quanto magis debet acerbè puniri, si vitæ domini insidias paraverit? sic pariter expendi potest l. 2. tit. 23. lib. 8. recop. per quam imposta reperitur pœna mortis vulneranti, vel percutienti proditoriè, vel per insidias, aut consilio habito, apino occidendi, etiam si mors non sequatur. Quia cum propinatio veneni crimen proditoriæ sit, ut probavi contr. 30. n. 49. eo ipso quod venenum propinatum appareat, & læsio aliqua subsequatur, absque dubio pœna ordinaria imponi debet, ex vi istius Textus, ut probant Didac. Perez in leg. 2. tit. 13. lib. 8. Ordin. & Azevedo in d. leg. 2. n. 16. cum segg. Neque deficit animus occidendi, cum propinatio ad id immediatè tendat, si venenum propinatum lethale sit, in cuius terminis nostra controversia versatur.

Secundum dubium multò magis urgebat, quia in eadem l. 8. tit. 31. part. 7. clarissimè cautum habemus quo pacto irrogandæ

rogandæ sint pœna minoribus. Nam si reus doli capax non est, quod in eo Textu præfinitur usque ad decimum annum cum dimidio, nulla pœna dignus censetur. Sic censuit Aula, in cujusdam pueri causa, qui in condimento allato ex domo pistoris, arsenici quantitatem immiscuit: & licet adesset querela domini, ex ea dispositione impunitus evasit. Idem observavit Aula criminalis Regiæ audientia Valentiniæ in causa duorum puerorum, ex nobilioribus, qui Sacerdoti eorum magistro arsenicum ab ipso comparatum, ut mures perderet, in olla carniū projecerunt; ex cuius esu quatuor, aut quinque persone periclitantur. Sed quia major, annum octavum non erat egressus, causa non fuit prosecuta: si autem reus annum decimum cum dimidio completum habuerit, sed minor sit decem, & septem annis, pœna imponi debet; sed præcisè temperanda; à decimo septimo usque ad vigesimum quintum religioni judicantis relictum est, an temperanda sit: nam licet regulariter rei subveniantur, in atrocissimis, si malitia suppleat aetatem, pœna ordinaria imponi potest, & solet, ut latius probavi controvers. 8. n. 19. cum segg. & hoc jure utimur. Et quamquam ex conditione servili pœna potuit aggravari, hoc extra ordinem intelligendum est: quia imbecillitas ex natura procedit; ea autem quæ servitutem consequuntur, à jure civili, quod non potest jura naturalia dirimere ex regula Text. in leg. jura 8. ff. de regulis juris, cum vulgaris; & sic pœna extraordinaria fuit plexa sententia dici 8. Augusti anni 1662.

## CONTROVERSIA XXXIII.

De homicidio patrato in personam Procuratoris partis adversæ, quæ in lite obtinuerat; & an ex ea emulatione excusetur quis à pœna ordinaria?

## SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Difficillimum est justum dolorem temperare.
- 3 Sui non compos præ iracundia delinquendi mitius puniri debet.

- 4 Causa qualibet à pœna ordinaria excusare debet.
- 5 Casu magis quam voluntate delinquens mitius puniendus est.
- 6 Homicidium culpa, non dolo patratum, extra ordinem puniendum est.
- 7 Ex lite totius substantiæ, inimicitia gravis oriri solet.
- 8 Judicis officium necessarium est, Procuratoris, & Advocati voluntarium.
- 9 L. 1. §. quæri §. ff. ad Senat. Conf. Turpilian. expenditur.
- 10 Inconsultus calor, excusat omnino à pœna.
- 11 Animus delicta determinat.
- 12 Voluntas nocendi, causa effectiva est delicti contrahendi.
- 13 Voluntariè, & data opera delinquens de jure Hispano pœnam delicti ordinariam incurrit.
- 14 Domus propria habitationis unicuique tutissimum refugium esse debet.
- 15 Domus refugium violentè aggrediens, lege Julia de vi publica tenetur.
- 16 Domus tyranni expugnari à nemine, quantumvis optimo, debet.
- 17 Latitans, & armatus, qui inermem expectat, vulnerat & occidit, insidiosè, & proditoriè occidisse videtur.
- 18 Dolor non excusatur, si causa ipsius doloris non est justa.
- 19 Sententia supremi Senatus neque provocationem, neque aliquam dubitationem admittunt.
- 20 Procurator per simplicem defensionem sui clientis, neminem provocat.
- 21 Præsertim in causa civili, si causa non continet actionem famosam.
- 22 Procurator quid in forensi controversia execui solet.
- 23 Procuratoris officium de jure civili necessarium erat, & multo magis de jure Hispano.
- 24 Procuratoris officium à Rege creatur, & publicum est, & habet speciem dignitatis.
- 25 Lites civiles, sive pecuniaria materiam criminibus creant.
- 26 Casu delinquens in rixa excusatur, si percusserit non animo occidendi, secus si eo animo fiat.
- 27 Inimicitia procedens inter litigatorem, & Advocatum sive Procuratorem adversarii præsumptiva est, & fallit in plurimis.
- 28 Inimicitia procedens comprobatur dolo, & animum occidendi.
- 29 Accusans aliquem temerè non peccat in his quæ lege naturali prohibentur directè.



30 Secus qui hominem animo praemeditato occidit.

31 Cause excusantes de jure Hispano à pœna ordinaria in crimine homicidii lege determinata sunt. Deciso Aule ibid.

1 Ioannes de Antefana Alavensis, litem prosequatur nomine uxoris, ratione successione bonorum patrimonialium cuiusdam Præsulis consanguinei illius prædefuncti. Et cum succubisset, Procuratorem obtinentis in lite expectavit, in atrio proprii domicili, & eo horâ meridiana adveniente, aggressus fuit, & aliquid verberibus illatis, incautum & inermem occidit. Aliquo temporis intervallo decurso, aggressor captus fuit, & judicialiter confessus crimen ex ea causa litigii patratum. Dubitabatur in Aula qua pœna plectendus esset?

2 Pro rei defensione dicebatur, difficultimum esse iustum dolorem temperare, juxta Text. in l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad leg. Jul. de adulter. l. 1. §. fin. ff. ad leg. Cornel. de sicar. l. 3. §. si tamen maritus, ff. ad Sillanian. Felin. in cap. dilecti filii, n. 11. & seqq. de exception. Julius Clarus in §. fin. q. 60. vers. sed & hic quero. Decius in l. quicquid, n. 8. ff. de reg. jur. Plurimus Petrus Faber in eod. Text. in 4. cum seqq. Et quando causa doloris adeò magna est, ut ea concitatus, à mente alienatus reperitur, ita ut sui compos non remaneat, à qualibet pœna excusari debet, quia ut dixit Aristotel. l. 5. esbi-cor. c. 8. ibi: Atque his qui ob hoc nocent accedunt injuriam quidem faciunt, tamen nondum ob hæc ipsa sunt iniusti, vel pravi, non enim nocent ob pravitatem. Probant Farinat. q. 91. n. 40. Gail. observ. 106. lib. 2. n. 12. & observ. 110. n. 35. Carpzovius in prax. 1. part. q. 6. n. 6. Ant. Matth. in prolegom. tract. de crim. cap. 2. n. 14. ad fin. Quæ concurrebant in nostra specie; nam reus officium factoris exercendo, vitam misertimè ducebat, spe hæreditatis affinis erectus, abundantiam sibi, atque felicitatem persuaserat, pauperissimam supellectilem distraxit, pecunias ab amicis mutuaverat, ut expensas ministraret in lite, à labore quotidiano cessavit, & quando exitum prosperum somniabat, succumbendo cuncta amisisse conspexit,

3 & cum ira ob apparentem oriri injustitiam solet, ut dixit Aristoteles ibidem, licet immerito, injustitiam credens, in Procuratorem adversarii exarsit, atque intimo

dolore commotus, sui non compos, quem proximum invenerat, necavit: quare venia dignus videbatur, saltem ut excusaretur à pœna ordinaria, cum quælibet causa, etiam bestialis sufficiat. Text. in l. igitur, vers. generaliter, ff. de liberal. causis pluribus Farin. q. 90. n. 1. cum sequentibus. Julius Cartar. decis. 1. n. 37. & decis. 44. n. 38. Cabal. cas. 101. n. 18. & tract. d. homicid. n. 120. Dominus Valenzuela conf. 162. n. 34.

4 Secundo arguebatur ex Textu in leg. 1. §. divus in fin. ff. ad leg. Cornel. de sicar. dum consultus dixit ibi: leniendam pœnam ejus, qui in rixa casu magis, quam voluntate homicidium admisit. Quo Textu, ratio concludens demonstratur, quatenus elicitur quod ea quæ ex improvise fiunt, casu potius quam dolo, vel fraude peraguntur, ita ut fato, non pravitate impurentur. Text. in l. 1. ad fin. Cod. eod. tit. ubi Glossa & communiter Doctores, & ut plurimum culpa, non dolo fiunt. Homicidium enim culpa patratum, non pœna ordinaria, sed extra ordinem puniri debet, Text. in leg. 7. in princ. ff. ad leg. Cornel. de sicar. ibi: nec in hac lege culpa lata pro dolo accipitur. Boffius Carcerius & alii adducti per Cabal. d. tract. de homicid. n. 198. Giurba consil. 72. n. 1. & 2. Farin. q. 126. num. 42. cum sequentibus. Ex nostratibus Azevedo in l. 4. tit. 23. lib. 8. recapit. n. 5. Plaça in epit. delict. cap. 10. ex num. 7. Ant. Gomez var. lib. 3. c. 3. n. 15. ubi Ayllon Vela de delictis part. 1. c. 15. n. 41. in nostra specie negari non potest provocationem adesse, procedentem ex lite totius substantiæ, ratione cuius inimicitia gravis oriri solet inter litigatorem, & Advocatum Procuratoremque partis adversæ, ut colligitur ex Text. in l. 1. §. qui autem, & §. sed & Constitutio ff. de calumniator. Glossa in leg. pecuniam ff. de condit. ob caus. verbo reperitur. Paris de Puteo tract. de syndic. verb. suspicio, Mieres ad Consil. Cathal. part. 2. colat. 6. C. de professor. juris prud. vers. inem nota quod qui fuit, Xamar. de offic. jud. & Advocat. part. 2. q. 4. n. 56. Rovit. ad pragmat. Neapol. tit. de suspic. pragm. 1. Amendola in addit. ad decis. 222. Vincent. de Franq. n. 11. & licet Farinatius in prax. q. 49. n. 73. solum hæc teneat in Advocato, vel Procuratore causæ criminalis, idem dicendum est in lite civili gravi, ut de iudice dixerat ibidem n. 67. cum seqq. imò majori cum ratione; nam officium iudicis necessarium est, ita ut voluntariè abstinere

stineri non possit à cognitione controversiæ coram eo legitimè deductæ, Text. in c. ex tenore de for. Compet. ubi Barbosa, Mastril. decis. 151. num. 20. part. 1. Castillo decis. Sicil. 94. ex num. 1. Fab. in C. lib. 3. tit. 4. defn. 1. Fontanella decis. 1. num. 7. At verò procuratoris officium voluntarium est; nam potest admittere, vel non mandatum, Text. in l. filiusfamilias & §. invitus, ff. de procurator. ubi communiter Doctores, & sic qui partes adversarii fovet in re gravi, & obtinet, litigatorem succumbentem provocat, saltim ut à pœna ordinaria excusetur.

9 Denique arguebatur ex Text. in l. 1. §. queri 55. ff. ad Turpillian. ibi: quævis positus, si ita fuerit interlocutus Lucius Petius temerè accusasse videtur, an calumniatorem pronuntiasse videatur? & Papinianus temeritatem facultatis veniam continere, & inconsultum calorem calumpniæ vitio cavere, & id huic nullam pœnam subire oportere. Quo in Textu, rectè dubitabat Marcianus, an ex ea pronuntiatione condemnatus accusator temerarius fuisset; nam mos veteribus erat in concipiendis sententiis simili forma uti, sicut notat Dionysius Gothofredus ibid. Et tamen Papinianus, quamvis temeritatem accusatoris recognoverit, ex inconsulto calore veniam debere, & nullam pœnam subire oportere docuit, quam sententiam Marcianus quoque probat. Sic pariter Imperatores in l. si non 5. C. de injur. ibi: inconsulto calore prolapsus in l. 4. C. de auctor. pref. ibi: juvenit calore, & in l. 2. C. de abolit. ibi: si per errorem, seu temeritatem, seu calorem ad accusationem profuerint. Ita ut inconsultus calor in causa sit, ut minus peccasse dicantur, & à pœna saltim acerba excusentur. Cùm ergo in nostra specie succumbens inconsulto calore, procuratorem adversarii obtinentis necasset, quando non in totum, à pœna excusetur; ab ordinaria saltim excusandum esse apparebat.

11 Sed his non obstantibus condemnandum pœna ordinaria probabatur ex eo quod animus delicta determinat, ut docet Callistratus in l. divus Hadrianus. 14. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. & Imperator Antonius in l. 1. C. eod. ibi: crimen enim contrahitur si & voluntas nocendi intercedat. Et sic, quoties animi deliberatio necandi intercedat, quoties de præmeditatione ad occidendum appareat, pœna legis

12 Cornelia subintrat. d. l. 1. §. divus Hadrianus, ff. ad leg. Cornel. de sicar. l. perspicien. D. D. Laur. Matthæu, de Re Crim. Pars I.

dum 11. §. deliquit, ff. de pœn. ubi Bartol. Jul. Clarus in §. homicidium, num. 6. & ibi Baiard. Farin. quæst. 126. numero 2. cum seq. Peguera decis. 78. num. 59. Cabal. de homicidio ex numero 275. Giurba consil. 2. numero 36. cum seq. Ant. Matth. de crim. lib. 48. ff. tit. 5. cap. 3. numero 3. Carpzovius d. 1. parte, quæst. 7. ex num. 7. apud quos plures, ut diximus contr. 29. num. 14. cum sequent. Dolus namque ipso facto per reum confessio, probabatur clarissimè l. 7. ff. eod.

De jure nostro hæc pariter procedunt Text. in l. 11. tit. 5. lib. 6. for. judic. in l. 2. tit. 8. part. 7. in l. 1. & 2. tit. 17. lib. 4. for. legum in l. 3. tit. 13. lib. 8. Ordin. & in l. 4. tit. 23. lib. 8. recapit. in quibus iuribus ad hoc, ut pœna ordinaria irrogari debeat, sufficit quod data opera homicidium patratum sit, ut in his iuribus dicitur ibi à sciendas sic exponit Villadiego, Montalvus, Dominus Gregorius Lopez, Didacus Perez & Azevedo ibid. Paz ad l. 63. styli num. 23. cum sequent. Anton. Gomez d. capit. 3. num. 1. Plaça in epitom. delict. cap. 10. ex num. 1. Vela de delictis d. capit. 15. numero 39. Ayllon ad Gomez d. cap. 3. numero 2. Cùm autem hic reus, postquam litem amiserat, data opera, & ex animo, atque proposito, Procuratorem adversarii non obiter invenisset, sed præmeditatè expectasset armatus, & eo viso nullis præcedentibus verbis aggressus inermem, senem mitissimum, ac in sua professione pacificum, vulnerasset, & occideret, clarè sequebatur data opera, dolosè, ac ex prævia deliberata voluntate deliquisse.

Demum ex loco delicti qualitas aggravabatur ejusdem. Text. in l. aut facta 16. §. locus ff. de pœn. quod comprobabatur ex eo; nam in domo propriæ habitationis expectaverat, & postquam eam ingressus fuerat, nequiter occiderat. Domus enim unicuique tutissimum refugium est. Text. in l. plerique, ff. de spon. vocan. l. nemo 103. ff. de regul. jur. l. si cum servum 28. §. ult. ff. de fideicom. libert. l. 1. Cod. de praetor. & honor. prat. lib. 12. explicant Petr. 15 Fab. & Revard. in d. l. nemo, Farin. in frag. crimin. 1. parte, verb. Domus, numero 130. Clar. in §. fin. quæst. 10. ubi Baiard. Caball. casu 13. num. 13. eleganter Cicero in orat. pro Dom. sua ibi: Quid est sanctius, quid omni religione munius, quam Domus uniuscujusque civium? Hic ara sunt, hic foci, hic dii penates, hic sacra religionis



religionis ceremonia continentur: hoc per-  
fugium est ita sanctum omnibus, ut inde  
abrupti neminem, nefas sit. Sic pariter  
Quintilianus lib. 7. instit. orat. cap. 9.  
& Erasmus in adagio, domi vivere. Ob  
quod quicumque hoc asyllum violaverit,  
lege Julia de vi publica tenebitur,  
& durissima poena puniendus venit.  
Text. in leg. qui ades 11. ff. de vi publ.  
leg. quoniam, Cod. eod. leg. 2. & 8. tit. 10.  
part. 7. explicant præter superius ad-  
ductos Ant. Marth. dict. lib. 48. tit. 4.  
cap. 4. num. 3. Carpov. d. 1. part. 9. 40.  
num. 11. cum segg. Ex nostratibus do-  
minus Gregorius Lopez in d. leg. 8. glos. 6.  
Anton. Gomez d. tom. 3. c. 4. num. 1. &  
Azevedo in l. 2. tit. 13. lib. 8. recopil. num.  
38. de qua materia, juxta dispositiones  
fororum Valentiae, aliqua notaveram 2.  
de regim. cap. 8. §. 8. ex n. 116. eleganter  
Quintil. declam. 274. asserens quod  
neque optimus possit expugnare domum  
alienam, etiam si arx tyranni fuerit; sed  
hic reus in ipso refugio miserum Procura-  
torem deliberatè, & data opera neca-  
vit: ergo nulla venia dignus fuit.

17 Ulterius: nam hoc homicidium per in-  
sidias proditorie, sive per alevosiam patra-  
tum fuit; quia dolosum artificium adhi-  
buit, latitando armatus in atrio domus  
ipsius occisi, ut securè propositum occi-  
dendi exequeretur; quod comprobatur  
ex his quæ latè deduximus supra d. contr.  
29. ex n. 50. præmaximè attenta decisione  
Text. in l. 10. tit. 26. lib. 8. recopil. quam  
expendi ibidem, num. 51. & 52. ac per con-  
sequens non solum poena capitali, sed  
cum qualitate alevosia puniendus erat.

18 Quibus positis, clarissimè refelluntur  
cuncta quæ pro reo adducebantur. Nam  
primum deductum ex l. si adulterium 38.  
§. Imperator, ff. ad leg. Jul. de adulter. cum  
similibus; nempe difficillimum esse ju-  
stum dolorem temperare, excluditur ex  
eo quod non quilibet dolor excusat, sed  
justus tantum, & rationabilis, ut in Textu  
habetur, & licet concedamus causam do-  
loris hunc reum habuisse, tamen neque  
fuit justa, neque spectans ad procurato-  
rem, quia ab eo directè, neque indirec-  
tè processit litis amissio. Non, inquam,  
habuit justam causam, quia lis in su-  
premo Senatu Castellæ decisa fuerat,  
ac per consequens, ex doctrina, justi-  
ficatione, atque religiosissima integri-  
tate eorum Judicum, neque adhuc le-  
vissima suspicio haberi potest, ut de-  
viat à rectitudinis tramite: sunt enim

19 Hi sunt ignari juris, nec limina Legum  
Prima salutarunt, sed causis omnibus ad-  
sunt.  
Verbosamque locant operam, frontisque pu-  
dorem  
Procuratores ducunt, venalia semper  
Ingenia, & promptas ad nigra & candida  
linguas.

pars corporis Principis, ut dixerat Im-  
perator in leg. quisquis, Cod. ad legem Jul.  
Majestatis, id est oculi, ut ait noster Al-  
phonus in leg. 5. tit. 9. parte 5. & Saave-  
dra symbol. 55. imò non solum oculi, sed  
& manus, aures, & pedes. Dominus So-  
lorzano emblem. 54. per tot. Et ita ab  
eorum sententiis, neque provocandi,  
neque aliquam dubitationem introdu-  
cendi, alicui licentia concessa est, ut ex  
Text. in leg. jubemus 34. Cod. de appellat.  
& leg. un. C. de offic. Praef. praetor. cum  
aliis, dixi supra controversia 1. num. 65.  
cum segg. Ad hoc enim ut quis poenam  
evadat, non quemlibet dolorem habui-  
sse sufficit, ad justam, & rationabilem  
causam habere, sic docent Clarus in §.  
fin. q. 60. num. 9. Menchaca controvers.  
illustr. c. 18. num. 29. Mascard. de pro-  
bat. libro 3. conclusione 157. num. 66.  
Carpovius dict. quest. 6. n. 15. & segg.  
Frequentissimum namque odium est,  
quo habentur Judices, quia nemo æquo  
animo fert, ut delictum illius puniatur,  
vel quod injuriam alicui inferre impedi-  
diatur, vel aliena, sive bona, sive mala  
fide possessa, restituere cogatur, ut ac-  
curatè perpendit Carleval. de judiciis,  
titulo 2. disputatione 1. numero 6. Sed non  
ex eo Judicem occidens excusari debet  
ratione doloris provenientis ex con-  
demnatione, imò cuncta jura in eum  
insurgunt.

20 Quod nullam habuisset causam do-  
loris respicientem personam Procurato-  
ris, resultabat ex eo quod neque calum-  
niam, neque prævaricationem aut inju-  
riam ab eo illatam probavit, nec asse-  
ruit: ac per consequens cessabat ratio  
provocationis, cum ex simplici procura-  
tione partis adversæ, præstita in lite  
merè civili, in qua nulla actio famosa  
proposita, vel deducta fuit, non possit ori-  
ri causa, neque colorata provocationis.  
Præsertim animadverso quod Procura-  
tores in forensibus negotiis minimam  
partem gerunt, ex his quæ damnum li-  
tigatoribus inferre possunt, ut acutè di-  
xit Jacobus Falco lib. 3. Satyr. 6. ibi:

Hi sunt ignari juris, nec limina Legum  
Prima salutarunt, sed causis omnibus ad-  
sunt.  
Verbosamque locant operam, frontisque pu-  
dorem  
Procuratores ducunt, venalia semper  
Ingenia, & promptas ad nigra & candida  
linguas.

Si causa agrotat, norunt medicamina in  
ipsa  
Esse mora, facile labyrinthus textitur arte,  
A quo non actor, non filius exeat unquam.

22 Si enim litem perdidit sibi imputare  
debit qui temerè litigavit, vel fato cum  
sua sydera cause teneant. Non autem  
procuratori, cujus officium necessarium  
docet Consultus in leg. 1. ff. de procurato-  
ribus: sicut effectivè omnino in no-  
stris judiciis sunt, quia nullus in lite  
libellus recipi potest nisi per procura-  
torem publica auctoritate creatum sub-  
scribatur, Text. in leg. 1. & tot. tit. 24.  
lib. 2. recopilat. Et si ob procuracionem  
præstitam inculpabiliter, justa causa pro-  
vocationis daretur, aut judiciorum usus  
præcluderetur, aut quotidie homicidia  
impunita lugeremus, quod esset absurdum.  
Quibus addi potest, quod officium  
procuratoris à Rege creatum est, & ab  
ipso conceditur, ut patet ex dict. leg. 1.  
ob quod habet speciem dignitatis, ut  
pluribus relatis probat Dominus Fran.  
Amaya in leg. si quis procuratorem 34.  
Cod. de Decurion. lib. 10. num. 56. Et cum  
iste procurator occisus fuisset ratione  
exercitii ipsius officii, poena aggravari  
debebat, non minui, juxta Text. in leg.  
prohibitum, Cod. de jur. ffe. lib. 10. ubi  
Doctores Sesse de inhabil. capite 8. §. 4.  
num. 66. quia officialem Regis offen-  
dens, Regi ipsi injuriam facit, & poena  
ordinaria puniri debet. Pluribus Plaça  
dict. lib. 1. cap. 22. num. 26. Offendens  
namque ministros judicii, ex mandato  
Judicis quidquam agentes, ipsummet ju-  
dicem laedere, ac injuriis afficere vide-  
tur. Benè Carpovius in pract. crim. p. 2.  
quest. 100. num. 6. imò quælibet injuria  
facta officiali, intuitu officii, acerbius  
punitur, ut pluribus probat Farin. quest.  
105. n. 102. pluribus etiam Berliq. tom. 5.  
concl. 66. per tot. Ex hac fortè ratione Im-  
perator Justinianus lites omni studio vi-  
tare cupiebat in leg. probandum 13. alias  
leg. propterandum 11. Cod. de judiciis, dum  
scitè relictis: Et pecuniaria causa fre-  
quentiores sunt, & saepe ipsa materiam cri-  
minibus creare noscuntur. In quo Text.  
rejeçta interpretatione glosæ, quæ hu-  
jusmodi verba, de redargutione lectipru-  
rarum sub prætextu falsi, intellexit; am-  
plector potius expositionem Dion. Goto-  
fredi aientis, saepe in criminales degenerant.  
Non quia scripturæ de falso arguantur,  
sed quia malevoli dant ansam delinquen-  
D. D. Laur. Matthæi, de Re Crim. Pars I.

di, aut calumniosè se gerendo, aut vin-  
dictam à conlitoribus procurando,  
quod nisi acerba poenæ impositione re-  
frænetur, vix judicia liberè geri poterunt.

26 Neque obstat argumentum desum-  
ptum ex dict. leg. 1. §. divus Adrianus,  
in fin. ff. ad leg. Cornel. de sicar. cum aliis  
adductis supra num. 5. Nam licet verum  
sit leniendam poenam ejus, qui in rixa  
casu magis quam voluntate homici-  
dium admittit, hoc procedit, ut Mar-  
cianus ibidem docet, quando percussio  
ferro facta fuit non animo occidendi,  
ut in eodem Textu dicitur ibi: quam-  
vis ferro percusserit, tamen non animo oc-  
cidendi, leniendam poenam. In nostra ve-  
rò specie reus confessus fuit animo de-  
liberato occidendi; procuratorem qua-  
visse, expectasse, vulnerasse, occidisse;  
& sic non impetu improviso factum  
fuit homicidium, ita ut casu, & non  
voluntati præva imputari posset; imò  
dolosè & nequiter delictum patravit,  
ut factum ipsum occidendi in domo  
procuratoris, nulla præcedente causa,  
demonstrat: & sic à poena ordinaria ex-  
cusari non poterat. Neque ex causa ini-  
micitiae; quia licet aliqui Doctores eam  
ortiri inter litigantem, & Advocatum,  
vel procuratorem adversarii tenuerint;  
hoc solum præsumptivè procedit, ut ex  
ipsis Doctoribus pro reo allegatis supra  
num. 7. colligitur clarè, cum solum ve-  
ra inimicitia oriatur ratione accusatio-  
nis in causa criminali, ut tenuit Fatin.  
dicta questione 49. numero 73. & hæc  
præsumptio fallit in plurimis, ut specie  
Textus in leg. si post datum 14. & in  
leg. vel exilio 21. ff. de procurator. In  
quibus procurator inimicus fieri dici-  
tur ipsius clientuli, sicut pariter in spe-  
cie Text. in leg. filiusfamilias 8. §. fin.  
ff. eod. ibi: ut puta inimicitia capitales in-  
tervenerant inter ipsum procuratorem &  
dominum, & in specie Textus in leg. as-  
sinitate 22. & leg. mutus 43. in fin. ff.  
eod. ubi Paulus dicit quod procurator  
est affinis, vel hæres adversarii, ac per  
consequens non potest dici inimicus il-  
lius, cum affinitas obstat, & institutio di-  
lectionem supponat. Sed dato quod ini-  
micitia vera intercedat, ex ipsa præme-  
ditatio ad occidendum comprobatur, cum  
non statim arctue procuracionem susce-  
pit, causam proposuit, vel instruxit, &  
sententiam obtinuit, dolore, vel impetu  
ductus necavit; sed pluribus diebus  
transactis; ex intervallo, & data ope-  
Z 2 12,



data opera, prava animi deliberatione precedente, ac infidiosa machinatione mediante, ut ex dictis resultat. Et si veritatem amamus, de litis causa præcipua non erat procurator, sed dominus cujus negotium gerebat, & dolus evidens factus fuit procuratorem, non dominum eligendo. Mirabiliter Aristoteles d.c.8. ibi: *Atque ii qui ob hæc nocent, ac peccant, injuriam quidem faciunt; tamen non ob hæc ipsa sunt injusti vel pravi, non enim nocent ob pravitatem. Sed cum nocent electione injusti sunt, atque pravi: quod est idem ac dixerat Imperator in d. l. 1. C. ad legem Cornel. de sicar. ibi: Crimen enim contrahitur, si & voluntas nocendi intercedat.*

29 Denique argumentum desumptum ex Text. in l. 1. §. quæri 5. ff. ad Turpil. non adaptatur nostræ speciei: nam ille qui accusat aliquem temerè, & inconsulto calore, facillè veniam consequitur, quia accusare aliquem res ex se licita est, ideòque temerè accusans ob calorem inconsultum excusatur à pœna calumniatoris, cum tantum de excessu teneatur. At verò qui hominem occidit, rem illicitam per se exequitur atque prohibitam jure divino, naturali, & gentium, ut probavi d. contr. 29. num. 107. sic tradit Carpovius dict. quæst. 6. num. 14. Quibus addendus optimus ad rem Text. in leg. l. Julia 7. §. hodie, ff. ad leg. Jul. repetun. ibi: *Quid enim si ob hominem necandum pecuniam acceperint? vel licet non acceperint, calore tamen inducti interfecerint, vel innocentem; vel quem punire non debuerant, capite plecti debent;* ita ut distinctio tradita à Carpovio comprobata per hunc Textum reperitur, ad hoc ut calor non excuset à pœna capitali etiam in judice, quoties homicidium injustè patrat: ac per consequens multò minus in eo qui jurisdictione caret, & non offendit causam justitiae caloris.

31 Neque regula illa, quod quælibet causa, etiam injusta, sive bestialis excusat à pœna saltem ordinaria; nam hæc procedit in levioribus criminibus, non in gravi crimine, prout est homicidium, nisi cessante dolo, ut omnes Doctores laudati supra num. 4. docent, & sic nostra specie dolus liquidissimè probabatur. Quod de jure Hispano absque dubio procedit; nam in leg. 4. tit. 23. lib. 8. recopilationis, expressè sunt omnes causæ excusantes à pœna ordinaria in crimine homicidii, ac per consequens firma regula in cæteris casibus manet, ut docet Azevedo ibid.

& ante eum Plaça d. c. 10. per tot. Ant. Gomez d. l. 3. ex n. 13. Vela d. c. 15. ex n. 41. Cum autem neque probasset, neque deduxisset aliquam ex exceptionibus contentis in d. l. 4. & de dolo patenter constaret, ad pœnam ordinariam condemnatus fuit per Aulam sententia diei 15. Junii 1663. & tandem pœna in eum executioni deducta.

### CONTROVERSIA XXXIV.

De violentia, & ingressu cum armis ad expilandam domum, & an dantes operam rei illicita, teneantur de omni eo quod sequitur.

#### SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Criminis cogitatio nullam pœnam patitur.
- 3 Cogitatio furti faciendi, non facit furtum.
- 4 Fractura facta, furandi causâ, actio furti non datur.
- 5 Furtum factum in Curia, non punitur pœna mortis, licet per legem aliter cautum habeamus.
- 6 Ex primo furto nemo condemnatur ad mortem.
- 7 Dans operam rei illicita, non tenetur de homicidio subsecuto, nisi sit criminis author.
- 8 Quæ conclusio procedit de jure Hispano.
- 9 Vulnus illatum ministro justitiæ, in ipso ministerii exercitio, ratione incertitudinis non punitur capitaliter, nisi consilio quis vulneraverit.
- 10 Saltem pœna ordinaria, sed extraordinaria tantum.
- 11 Resistencia qualificata, non punitur pœna ordinaria.
- 12 Arbitrium Judicis concessum, non potest extendi ad pœnam mortis naturalis. Contrarium. & n. 38.
- 13 Delatio armorum ignis reprobata mensura, licet pœna capitali puniri jubetur per nostras leges, hæc pœna non est usu recepta.
- 14 Effractores domorum cum violentia, & armis, pœna capitali plectendi sunt.
- 15 Ad crimen violentiæ perficiendum, non requiritur, quod furtum consummetur.
- 16 Nam licet actio furti non detur, datur actio de vi, si per vim introierint.

- 17 Numerus determinatus non requiritur ad turbam constituendam, si homicidium sequatur.
- 18 De jure Hispano licet furtum non consummetur, ex introitu violento consummatur crimen.
- 19 Lex 74. styli legem partita & legem fori legum interpretatur, ampliando earum dispositiones.
- 20 In quocumque ex casibus comprehensis in dict. leg. 74. pœna capitalis debetur.
- 21 Text. in l. 8. tit. 11. & l. 6. tit. 26. lib. 8. recopil. expenditur.
- 22 Arbitrium per legem Judicibus relictum, supremi Magistratus extendere possunt, usque ad pœnam mortis.
- 23 Dantes operam rei illicita, tenentur de omni crimine subsecuto.
- 24 Domini Didaci Covarruvias doctrina expungitur, quoad homicidium subsecutum ultra intentionem dantis operam rei illicita.
- 25 Don J.annes Vela locum dicti Domini Covarruvias mutilum tradidit.
- 26 Auctor criminis tenetur ad pœnam mortis, si dando operam rei illicita sequatur homicidium, quando negotium pro quo violentia inferitur, cum principaliter tangit.
- 27 Causam dans homicidio, tenetur eodem pacto, si occidisset.
- 28 Plures dantes operam rei illicita, pœna capitali tenentur ex homicidio subsecuto, si negotium omnes equaliter tangit.
- 29 Plures ex eodem delicto pœna capitali tenentur.
- 30 Plures dantes operam rei illicita non plectuntur capitaliter ob homicidium, sed ratione violentiæ illatæ, ex qua homicidium sequitur.
- 31 Plures dantes operam rei illicita, si homicidium sequatur, tenentur pœna capitali, si equaliter culpam, & dolum contraxerint.
- 32 Delatio armorum ignitorum reprobata mensura, pœna capitali punitur, præcipue si explosio & usus eorum armorum deliberatè, vel dolosè sequatur.
- 33 Licet incertum sit quis vulneraverit, pœna omnes explodentes comprehendit.
- 34 Explosio facta fuit per nostras leges crimen capitale.
- 35 Resistencia qualificata crimen graviter plectitur.
- 36 Resistencia simplicis pœna, apud nos est ignominia, & trivrenium per octo annos.
- 37 Resistencia criminum, ob quamcumque

qualitatem ad verberum pœnam, & trivrenium extenditur, ex praxi communi.

- 38 Resistencia graviter qualificata ob crimen, extenditur pœna usque ad mortem.
- 39 In gravissimis affectus punitur non secuto effectu eadem pœna.
- 40 Ingressus violentus alicujus domus, non requirit perfectionem furti per contragationem, sed actum externum per quem animus furandi demonstratur.
- 41 Furtum simplex patratum in Curia Regis non plectitur pœna capitali.
- 42 Violentia facta in Curia Regis pœna capitali plectitur.
- 43 Auxiliatores dici non possunt, qui principaliter, & equali culpa, vel dolo ad propriam utilitatem delinquant.
- 44 Deserentes tormenta reprobata mensura capitali pœna tenentur, si eis utantur, licet non omnes vulneraverint.
- 45 Resistencia valida, pluribus dolosis qualitibus referta, pœna capitali plectenda.
- 46 Decisio Aula.
- 47 Similis observatio Aula.

Septem erronei Valentini expilare domum Don Gabriëlis Mencos decreverunt. Et cum unus familiaris ejusdem domus fuisset, famulo conatum detexit, cum blanditiis, minisque suadendo coram cæteris, ut eos auxiliaret. De his dominus certior factus, opem justitiæ imploravit, mediante uno ex dominis Aulæ, qui apparitores adhibuit, ut latitando in eadem domo signum à famulo spectassent, & eo audito reos caperent, auctoritatem tribuente ipso præfecto Regiæ domus & Curiæ, qui cum aliis in proximis aderat. Rei armati in domum introierunt, uno ex eis ad ostium relicto, ut venientes exploraret. Cæteri universam familiam opprimendo, arcam in qua gemmæ, aurum, atque argentum, ingentis summx asservari solebant, frangere cœperunt. Sed signo dato, apparitores supervenerunt, & successivè Præfectus cum cæteris satellitibus, Resistenciam istibus tormentorum reprobata mensuræ, ac aliis armis latrones facere cœperant, sed occiso illo qui familiaris fuerat, & lethalter vulnerato uno ex apparitoribus, quinque superstitis capti fuerunt; nam explorator conflictu audito, fuga sibi consuluit. Quærebatur qua pœna plectendi venirent.

Pro defensione eorum dicebatur, quod